

tationum annalium mundi origo docet, ut breviter edisseras, rogo. Responsio: Regula tenet ecclesiastice observationis a Niceno confirmata concilio, ut Pasche dies ab 11. Kal. Apr.¹⁾ usque in 7. Kal. Mai.²⁾ inquiratur. Item catholice institutionis regula precepit, ut non ante vernalis equinoctii transgressum Pascha celebretur. Qui ergo 8. Kal. Apr. die^{a)} deputat equinoctium^{b)} necesse est idem aut ante equinoctium Pascha celebrari licitum dicat, aut ante 7. Kal. Apr.³⁾ diem Pascha celebrari licitum neget. Ipsum quoque Pascha, quod Dominus pridie, quam pateretur, cum discipulis suis fecit, aut 9. die Kal. Apr.⁴⁾ non fuisse aut ante equinoctium fuisse confirmet. Non autem nostri tantum temporis, sed etiam^{c)} legalis Mosaice decrevit^{d)} institutio, non ante transcendens huius equinoctii diem festi paschalis esse celebrandum, sicut Anatholio attestante^{e)} docet Iosephus, sicut qui unus ex illis LXX senioribus fuit, qui missi fuerant a pontificibus ad Ptholomeum^{f)} regem Ebreorum libros interpretari in Grecum^{g)} sermonem, quique multa ex traditionibus Moysi proponenti regi atque percunctanti^{h)} responderunt. Ipsi ergo cum questionibus Exodi exponerent, dixerunt Pascha non prius esse immolandum, antequam hoc equinoctium vernale transiret. Unde nos necesse est ad observandam veritatis regulam, ut dicamus aperte et Pascha ante equinoctium tenebrasque devictas non immolandum, et hoc equinoctium 12. Kal. Apr.⁵⁾ dieiⁱ⁾ ascribendum, sicut non solum auctoritate paterna, sed et horologica consideratione docemur. Sed et cetera tria tempora in huiusmodi confinia simili ratione aliquot ante 8. Kal. sequentium diem esse notanda.

Hec Beda.

I, 7

Ciclus magnus paschalis incipit; in cuius 54. anno, hoc est 16. anno cicli 3. decennovennalis ipsius magni cicli, caput mundi constituitur sancto Beda sic confirmante.

^{a)} diem (*übergeschr.* vel diei) L. ^{b)} equinoctio (*übergeschr.* vel equinoctium) L. ^{c)} *folgt legis* L. ^{d)} decernit V. ^{e)} attestante V. ^{f)} Ptholomeum L. ^{g)} Grecam V. ^{h)} percunctanti L. ⁱ⁾ die V.

¹⁾ 22. III.

²⁾ 25. IV.

³⁾ 26. III.

⁴⁾ 24. III.

⁵⁾ 21. III.